

CANCELL.  
MARTIS B.  
1716.


IX. B. 99

God

55.

~~2. 5. 11. 17~~

~~XXVIII. 9.~~











*[Faint, illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule, covering the page. The text is arranged in several lines and is significantly faded.]*

*[Faint, illegible handwritten text visible on the right edge of the page, including some large initial letters.]*





- De eo quod iustum est circa identitatem.
- ii De similitudinibus nummariis eorumque iure. Non Ruffi  
Nymph Cabinette.
- iii De iure imaginum.
- iv De iure declarationis.
- v De iure apostillae seu postscripti.
- vi De libertate sentiendi non libera.
- vii De iure singulari circa rem alienam.
- viii De rebus meritoriis vulgo Non tam Ruffi.
- ix. Futura iuridice considerata.
- x. De iure apum non Ruffi.
- xi De eo, quod iustum est circa personas diversae religionis
- xii. De diversitate lapidum fitalium eorumque iure. Non  
mbr. Spid. in Grunp. und Elwaik. Ruffi und Lam. R.  
fugm. 2.
- xiii. De eo, quod iustum est circa vectigalia.
- xiv. De iure limitum provincialium. Non Ruffi und Lam. Grunp.
- xv. De iure seminis.
- xvi. De eo quod iustum est circa tormenta bellica non Canon Ruffi

XVII. De bonis laudemialibus, don <sup>de</sup> <sup>im</sup> <sup>legibus</sup> <sup>quibus</sup>

XVIII. De iure Praefationum.

XIX. De iure liciti sed non honesti.

XX. De voto informativo.

XXI. De ioco.

XXII. De eurenaticis seu strata gematibus iuris. don  
iuristi seu finibus


XXIII. De iure stabulorum.


XXIV. De iure tabaci.

XXV. De iure rerum, casuamissarum.

XXVI. De iudicio fortuna.

XXVII. De iure fontium, don <sup>de</sup> <sup>fontibus</sup> <sup>quibus</sup>





3

DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**JURE DECLARA-**  
**RATIONIS,**

quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENB.  
DUCATUS MAGDEB. GUBERNATORE, & reliqua,  
IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA  
PRÆSIDE

**JAC. FRIDERICO LUDOVICI,**

J. U. D. Prof. P. & Facult. Jurid. Adfessore,

Ad diem Maji MDCCVII Horislocoq; solitis

Placido eruditorum examini submittit

**HIERONYMUS PIUS Sind /**

NORIMBERGENSIS.

---

Typis CHRISTOPH. ANDRÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.

DISSENTATIO JURIDICA  
JURE DECISIONUM  
RATIONUM  
REGIORE A. 1700. C. 1710. M.  
D. PHILIPPO WILHELMO  
IN HONORE ACADEMIAE JURIS PAVIAE  
JACOBO PHILIPPO WILHELMO  
JURISCONSULTO  
AUCTORI  
JACOBO PHILIPPO WILHELMO  
JURISCONSULTO





DISSERTATIO JURIDICA  
DE  
JURE DECLARATIONIS.  
CAPUT I  
Generalia pertractat.

CONTENTA HUIUS CAPITIS.

*Declaratio interdum pro prima voluntatis significatione in Legibus  
& conventionibus accipitur §. I. Interdum denotat Rei respon-  
sionem eiq; competentes exceptiones §. II. Interdum idem est,  
quod condemnatio §. III. Sumitur etiam pro interpretatione,  
a qua tamen differt, quod ostenditur §. IV. Interpretatio ar-  
bitraria & usualis potius est declaratio, quam interpretatio  
proprie sic dicta §. V. Declaratio nullis nititur artificiis aut  
regulis, bene tamen interpretatio §. VI. Interpretatio declara-  
tiva quomodo a declaratione stricte accepta differat? §. VII.*

§. I.



2, Jun hiemit zu wissen/vel, Kund u. zu wissen sey hiemit.  
&c.

Verbum *Declarationis* multos eos-  
que diversos in jure habet significa-  
tus. Adhibetur primo in ipsa *Legum*  
*latione*, nec non in *conventionibus* &  
*fœderibus Principum*, pariter atque *pa-*  
*ctis privatorum*, unde consveta for-  
mula: *DECLARAMUS* & notum fa-  
cimus, cui respondet germanicum:

A 2

§. II.

## §. II.

In causis judicialibus interdum denotat *Rei responsionem* & eidem competentes *exceptiones*. Unde sapius, præsertim extra Saxoniam, ubi certis & perpetuis formulis non sunt adsveti Judices, oblatio ab Actore libello decernitur, es solle hierauf Beklagter binnen gewisser Frist seine Erklärung einzubringen schuldig seyn. Imo etiam hic decernendi modus consvetus est, quando forte ab una parte conditiones quædam ad tentandam amicabilem compositionem offeruntur & alterius partis intentio de super exploranda est.

## §. III.

Adhibetur porro interdum *pro ipsa condemnatione*. Sic dicitur, aliquem *in bannum declarare*, in die Acht erklären/ quod idem est, ac in die Acht vertheilen. Utuntur etiam hac voce haud raro in causis civilibus, v. g. jemand sachfällig erklären/ & in puncto refusionis expensarum, ihn auch zu Erstattung der aufgewandten Unkosten schuldig erklären. Sic in *ultimis voluntatibus* Testator aliquem pro indigno declarare potest.

## §. IV.

Hi tres significatus ad nos in præsentì plane non pertinent. Propius ad scopum nostrum accedit, quando declaratio *pro interpretatione* interdum a DD. accipitur. Sed tamen propterea declaratio & interpretatio stricte & proprie sumta non sunt unum idemque. Scilicet *interpretatio* est expositio voluntatis dubiæ *alienæ*, Excell. Thomafius in *Jurisprud. Div. lib. 1. c. 3. §. 3.* quando Jcti & Dd. ex ratione, tanquam anima legis, verba extendendo, vel restringendo, pro diversitate circumstantiarum voluntatem Legislatoris explicant, quod idem intuitu conventionum & quorumcunque negotiorum obvenientium locum



cum invenit. *Declaratio* autem est expositio voluntatis dubiæ *proprie*. Illa Germanis dicitur eine *Auslegung*/hæc eine *Erläuterung* oder *Erklärung*/quamvis & hæc vocabula interdum promiscue capiantur & posterius interdum etiam pro *paraphrasi* accipi soleat.

## §. V.

Quamvis ergo communiter tres species interpretationis circumferantur, *authentica*, *usualis* & *doctrinalis*; adparet tamen ex modo adductis, quod interpretatio doctrinalis sola titulum interpretationis mereatur, quia versatur circa voluntatem *alienam*. Interpretatio *authentica* e contrario nihil aliud est, quam declaratio verborum Legislatoris *propriorum*, quæ subditis ambigua, aut obscura esse videbantur. Idem sentiendum de sic dicta interpretatione usuali. Licet enim hic expressa declaratio Legislatoris deficiat, tacita tamen adest, dum hætenus passus est Legislator, ut per usum fori hæc vel illa declaratio legis dubiæ fieret, vid. Idem *Prax. Log. cap. 3. §. 98.*

## §. VI.

Fluit hinc porro, quod quamvis in *interpretatione* proprie sic dicta, doctrinali scilicet, *variis regulis & artificibus* opus habeamus, quibus mediantibus voluntas atque intentio aliena eruitur; in *declaratione* tamen ejusmodi regulæ nequiquam requirantur, quia juxta vulgatum:

*Optimus interpres verborum quisque suorum.*

Hinc illi etiam, qui declarationem pro specie interpretationis juxta §. præced. venditant, de illa tamen nihil tradunt, sed unice circa doctrinalem ejusque diversas species occupati sunt, prout ex omnibus, qui de interpretatione scripserunt, videre est.

## §. VII.

Equidem interpretatio *declarativa*, quam vocant, &

quæ tertia species interpretationis doctrinalis est, cum declaratione nostra propius convenire videtur; verum hæc convenientia in verbis saltem deprehenditur, neutiquam in re ipsa, cum & interpretatio illa declarativa circa erudendam voluntatem *alienam* versetur, declaratio autem proprie sic dicta *propriam* pro objecto suo habeat. Quomodo interim interpretatio declarativa ab extensiva & restrictiva differat, de eo, ut in præfenti fusius agamus, instituti nostri ratio haud permittit, unde potius progredimur ad

## CAPUT II.

## De Jure Declarationis ipsi Legislatori competente.

## CONTENTA HUIUS CAPITIS.

*Jus declarandi leges obscuras soli Legislatori competit, & declaratio, quia lex nova non est, ad præterita etiam negotia pertinet, §. I. Differentia inter declarationem Principis, & interpretationes Jctorum §. II. Distinctio Mevii inter interpretationem expositivam & applicativam §. III. Cuiam jus Leges Imperii universales declarandi competat? cujus questionis resolutionem a questione præjudiciali dependere ostenditur, quisnam jus ferendi Leges habeat in Imperio? Fert autem Leges non solus Imperator, sed conjunctim cum Statibus, §. IV. & V. Ergo de declaratione idem asseritur §. VI. Textus in hanc rem ex Reccessu Imperii novissimo §. VII. & IIX. Resolutio textuum obstantium §. IX. Camera Imperiali, Judicio Aulico aliisque judicibus potestas declarandi adscribi nequit §. X. Aliud tamen est, si declaratio ex observantia sumatur & de hac testentur Judices §. XI. Princeps in declaratione Legum ad regulas, quas in interpretatione sequimur, non est adstrictus. Subjungitur limitatio, §. XII.*

§. I.

## §. I.

**J**us Declarationis Legislatori competens circa Legem dubiam promulgatam sese exserit & ita quidem ut declaratio, quia revera lex nova non est, ad præterita etiam se extendat, Gail. 2. *Obs. 9. n. 6. Leges sacratissimæ*, inquit Impp. Valentinianus & Martianus in *l. 9. C. de LL. quæ constringunt hominum vitas intelligi ab omnibus debent, ut universi præscripto earum manifestius cognito vel inhibita declinent, vel permissa sedentur. Si quid vero in iisdem Legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id ab imperatoria interpretatione patefieri, duritiemque Legum nostræ humanitati incongruam emendari, quo etiam pertinet l. 1. §. 1. ult. C. eod.* Unde nunc constituimus regulam: Cujus est Leges ferre, illius quoque est easdem declarare, vid. Illustr. Stryk. in not. ad Lauterb. de *J. & J. verb. Authentica.* Et hinc est, quod communiter Lege dubia occurrente dicunt: Man müsse bey Hofe deshalb eine declaration suchen.

## §. II.

Non vero exinde inferendum est, ac si Jctis & Judicibus facultas interpretandi (interpretatione doctrinali) eo ipso plane sit adempta. Quamvis enim jus declarandi & interpretandi Leges sibi *solis* adscribant Imperatores in *tit. LL.* optimè tamen B. Brunnemannus in *Comm. Cod. ad d. l. 1.* inter obscuritatem Legis *in thesi* & *in hypothesi* occurrentem distinguit. Quod si, inquit, voluntas Legis (aut Legislatoris) sit in thesi dubia & obscura, v. g. quando lex nimium rigorem involvere videtur, si eum simpliciter sequatur Judex, tunc consulendus est Legis autor, id est, Princeps. Quod si in hypothesi dubium, an casus præfens ad legem pertineat, interpretatio est Jcti & Judicis, cujus tamen non est, mentem Legis egredi. Est enim Minister Legum & non de Legibus, sed secundum Leges judicat.

judicat. De Legibus ergo judicare, est eas declarare ; secundum Leges autem, easdem interpretari.

## §. III.

Eo recurrere etiam videntur, quæ hac de re tradit Mevius *P. I. Dec. 67. n. 2. in not.* scilicet interpretationem. (hac voce latius acceptâ) duplicis generis esse dicit, aliam *applicativam*, aliam vero *expositivam*. Applicativam describit, quod consistat in legis ad factum applicatione eandemque JCtis & Judicibus tribuit ; Expositivam autem dubii sensus (juxta ea, quæ *S. præc.* attulimus) esse, & hanc superioribus saltem, quorum est imperium, competere asserit. Impossibile quippe est, quod Princeps, qui tot tantisque negotiis publicis distractus est, de omnibus & singulis privatorum causis mentem suam ipse aperire possit, inde facultatem interpretandi & applicandi Leges Ministris suis relinquere voluisse censendum est.

## §. IV.

Hicce nunc ita suppositis judicium facile etiam ferri poterit de questione : *Quinam in imperio Germanico potestas leges imperii universales declarandi competat ?* Nempe queritur prius : *quis potestatem ejusmodi leges ferendi habeat ?* Respondet *Pfessinger in not. ad Vitriar. l. I. tit. 2. §. II. lit. a.* universales imperii Leges Cæsarem solum ferre non posse ob communionem Majestatis, in quam Status imperii recepti sunt, in quem finem adducit responsionem A. 1679. d. 28. Aug. Ferdinandi II. Cæsaris, Legatis Circuli Franconici datam : *Es erinnere sich Ihro Kays. Majest. daß in denjenigen Sachen/da man neue Gesetze und Constitutiones auffrichten wolle/ deme im Reich Herkommen nach/ solches auff gemeinen Reichs - Versammlungen constituiret werden solle.* Et jussu ejusdem Imperatoris reposerunt Consiliarii Aulici eod. Anno & die ad literas  
Ele-

DE JURE DECLAR. IPSI LEGISLAT. COMP. 9  
Electoris Saxonici: Neue Gesetze können J. Maj. nicht  
machen ohne consens der sämtlichen Reichs-Stände/  
quæ omnia etiam reperiuntur apud Schwederum in In-  
trod. ad jus publ. Part. spec. Sect. I. C. 25. §. 2.

§. V.

Res post Instrumentum pacis Osnabrugensis art. 8.  
§. 2. expedita est, ibi: *Gaudeant sine contradictione jure suf-  
fragii in omnibus deliberationibus super negotiis Imperii, præ-  
sertim ubi leges ferendæ, & paulo post: nihil horum, aut  
quicquam simile posthac unquam fiat, vel admittatur, nisi de  
Comitali, liberoq; omnium Imperii Statuum suffragio & con-  
sensu, &c.* Non obstat, quod tamen Recessus Imperii so-  
lius Imperatoris nomine promulgentur; hoc enim non  
fit vi absoluti Imperii, sed ex præcedente conventionem  
cum Statibus Imperii, adeoque juribus Statuum nihil quic-  
quam detrahit, vid. *Rec. Imp. de An. 1654. §. 8.* ibi: und sol-  
chem nach mit Churfürsten und Ständen und der ab-  
wesenden Rätthe/Botschaften und Gesandten/und Sie  
sich hinwiederumb mit Uns darin nachfolgender maßen  
verglichen &c. it. §. 199. Und wir/die Churfürsten und  
Stände und der Abwesenden verordnete Rätthe/Bot-  
schaften und Gesandte bekennen auch öffentlich mit die-  
sem Abscheid/das alle und iede obbeschriebene Puncten  
und Articul/als wie obstehet/mit unserm guten Wissen/  
Willen und Rath vorgenommen und beschlossen seyn/  
&c.

§. VI.

Cum itaque potestas ferendi Leges ad Imperatorem  
& Status conjunctim pertineat; hinc recte Schwederus  
*d. Sect. I. c. 25. §. 2.* infert, quod idem obtinere debeat, si-  
ve lex nova roganda, sive rogata interpretanda, declaran-  
da, vel explicanda, sive renovanda, aut pro utilitate Rei-  
publ.

B

publ. mutanda, aut plane rescindenda, sive abroganda sit. Pertinet huc *Capitul. Leopold. & Joseph. art. 2.* ibi: Und dieselbe mit Rath und consens Unser und des Heil. Reichs Churfürsten/Fürsten und anderer Stände/wie das des Reichs Gelegenheit zu jederzeit erfordern wird/bessern/quo collimant etiam monita tam a Catholicis & Evangelicis Principibus conjunctim, quam ab Evangelicis separatim exhibita apud Dn. Müldenerum in *Capit. harmon. in append. p. 186. & 204.* ibi: Dafern sich ein dubius intellectus ereignen solte/&c. Add. *Instrum. Pac. Osnabrug. Art. 8. S. 2.* verbis: *praesertim ubi Leges ferenda, vel interpretanda.*

## §. VII.

In *Recess. Imp. de A. 1654. S. 138.* quantum ad Constitutionem de pignorationibus & dubia circa eandem occurrentia attinet, hac de re sequenti modo dispositum: Demnach sich auch unterschiedene Stände beschweret/das die Pfandungs-Constitution im Cammer-Gericht in erkennung der Processen und nach eingewendeten Exceptionibus bey Ausserlegung der partition also weit extendiret/das dadurch = = = und solches vornehmlich durch Behuff und Veranlassung des An. 1600. auffgerichteten Deputation-Abschieds/S. wann zwischen zweyen Partheyen &c. Also soll/nachdem der Cameralen Gutachten hierüber allbereit eingehohlet worden/bey nächstbevorstehender visitation das Werk mit den Assessoribus nachmahlen mit Fleiß examiniret/etwas gewisses präparatorie verglichen und auf nächstzukünftigen prorogirten Reichstag gebracht/und allda von Uns mit Zuziehung Churfürsten und Ständen völlig erörtert werden.

## §. IIX.

Hæc specialem casum concernunt. Generaliter vero in  
ro in

DE JURE DECLARAT. IPSI LEGISL. COMP. II  
ro in *d. Recess. S. 121.* ita habetur: Die casus dubios aber/  
und welche allererst ex Instrumento Pacis ihre interpreta-  
tion haben müssen/betreffend/soll vor allen Dingen ver-  
sucht werden/ob man sich darüber in der Güte verglei-  
chen könne/wiedrigenfalls aber dieselbe auf den nächsten  
Reichstag ausgestellt und verwiesen werden / & paulo  
post, hiernächst aber in prorogatis Comitibus zu allgemei-  
ner Genehmhaltung referirenden Puncten observiret  
werden. Et talia quamplurima in dicto Recessu inveni-  
untur, quæ omnia conquirere & hic inserere necessarium  
non duximus. Conf. Gülich in *recapit. Capit. Joseph. c. 7. S. 4.*  
Herden in der Grundveste P. 3. c. 1. *ibi*: Wann Gesetze  
und Ordnungen auff's neue zu geben und einzuführen/  
oder alte zu erläutern.

§. IX.

Graviter tamen illis, quæ hactenus adduximus, ob-  
stare videtur, quod in nonnullis Recessibus Imperii pote-  
stas declarandi Imperatori unice reservata fuerit, v. gr. in  
*Recessu Imperii de A. 1541. S.* Doch haben Wir uns vor-  
behalten/über vorgemelten Friedensstand/so oft solches  
die Nothdurfft erfordert / iederzeit declaration und Er-  
läuterung zu thun/wie Wir uns solches hiemit ausdrück-  
lich und wissentlich vorbehalten / *ic. R. I. de An. 1544. S.*  
Wäre aber Sach; Verum hoc dubium jam removit  
Schwederus *Introd. ad jus publ. Part. spec. sect. 1. C. 25. S. 3.*  
scilicet, Status hanc potestatem Imperatori tunc temporis  
extra ordinem reliquisse, quod ex diversis Imperii Recess-  
ibus, in specie autem ex *R. I. de A. 1541. S.* Und dieweil  
Uns *ibi*: aus Überlassung und heimstellung probat, quo  
B. L. remittimus.

§. X.

Sequitur nunc facile ex hactenus adlatis, quod nec  
B<sub>2</sub> Came.

Camerae Imperiali, nec iudicio Aulico, nec cuiuis alii Magistratui jus declarandi Leges superioris competat. Et sicuti iudex, inquit Brunnemannus *ad l. i. c. de LL.* non potest Imperatoris Leges authentice interpretari pro libitu, ita nec Princeps Dei Leges. Nam uti se habet Iudex ad Principem, ita Princeps ad Deum. Ergo nec Papæ jus declarandi leges Divinas competit, quia se saltem Vicarium Dei esse præ tendit. Elegans locus, quantum ad Iudicium Camerae aliaque attinet, hac de re est apud Mevium *P. I. Decif. 67.* Quæstio, inquit, de intellectu eorum, quæ in Pacis Osnabrugensis instrumento de secularisatione, ut vocant, jurium & bonorum ecclesiasticorum in Ducatu Bremensi constituta sunt, incidens, visa fuit non pertinere ad Tribunal Regium, cuius non est interpretari publicam legem & conventionem. Interpretatio quippe Legis pertinet ad superiores, quorum est illa constitutio, vel conventio. Est enim Iudicum secundum Leges, non de Legibus iudicare. Quomodo itaque in Camera Imperiali eorum dubiorum, quæ circa Constitutiones Imperii incidunt, referuntur ad Cæsarem & Ordines, à quibus sunt conditæ, siquidem alias jurisdictio fundata est ratione, causæ: ita, addit Mevius, ubi de intellectu juris Regii oritur dubitatio, ad S. Regiam Majestatem decet referre.

## §. XI.

Sed videmus tamen, quod haud raro etiam a iudiciis declarationes Legum petantur, anne ergo peccant iudices, qui potestatem declarandi hoc casu sibi arrogant? Respondemus distinguendo. Aut hætenus certa consuetudo adfuit legem declarans, aut non. Priori casu Iudex quicumque de ejusmodi observantia recte testatur; sed tunc non ex proprio ingenio legem declarat, sed potius ex tacita legislatoris voluntate, quæ ex tali consuetudine & non

secu-



DE JURE DECLARAT. IPSI LEGISL. COMP. 13  
secuta Principis contradictione colligitur. Posteriori casu  
Judici legem declarare neutiquam licet, per ea, quæ in  
præcedentibus adduximus.

§. XII.

Hactenus dicta respiciunt unicè hanc quæstionem:  
*Cuinam potestas declarandi Leges competat?* Nunc duo ver-  
ba adhuc addenda de altera quæstione: *quomodo illa decla-  
ratio fieri debeat?* id est, an Legislator declarans, uti JC-  
tus in interpretatione doctrinali, ad certas regulas adstri-  
ctus sit? Negandum hoc ducimus, adeo, ut subditi facta  
declaratione simpliciter acquiescere obstringantur, licet  
existimaverint antea, Legi vel ex natura substratæ mate-  
riæ, vel propter alias circumstantias longe alium sensum  
tribuendum esse. Quemadmodum enim legi sese confor-  
mare tenentur, quamvis ejus rationem non assequantur:  
ita quoque legis declarationi, quippe quæ nihil aliud, quam  
nova lex est. Labet adscribere verba Excell. Thomasi in  
*Prax. Log. c. 3. §. 29.* quæ nostram sententiam confirmant.  
*Ein Ober-Herr / inquit, kan seine Worte auslegen auch  
wieder die Regeln gemeiner Auslegung / denn da heisset  
es / daß diese jener weichen müsse / quod interpretatio do-  
ctrinalis debeat cedere authenticae.* Supponimus tamen  
primo, quod talis declaratio nihil in se contineat, quod  
cum lege divina naturali, vel revelata pugnat. Tunc enim  
nec lex ipsa, nec ejus declaratio valet. Nam requisitum  
rationabilitatis non ad solas consuetudines restringendum,  
sed eodem modo etiam ad Leges scriptas pertinet. De-  
inde hæc non pertinent ad Principem *contrabentem*, nam in  
conventionibus & sic etiam in Legibus per conventionem  
initis, seu fundamentalibus, Princeps privatorum jure uti-  
tur.

## De Jure Declarationis Magistratui inferiori competente.

## CONTENTA HUIUS CAPITIS.

*Connexio cum Capite precedente. Magistratui jus declarandi sententias & decreta obscura competit. §. I. Rejicitur distinctio Scharchi inter Magistratus majores & minores §. II. Sententia obscura a Collegio Juridico concepta, ab eodem Collegio declarari debet §. III. Declaratio tali casu ab illo Collegio privatim impetrata declarationi Judicis loci preferenda est §. IV. Petitio declarationis ad certum fatale non adstringitur, utile tamen est, ut intra decendum cum eventuali appellatione petatur §. V. Singularis dispositio hac de re in Ordinatione Processus Magdeburgica §. VI. Pendente declaratione nulla fatalia currunt §. VII. Post petitam declarationem nulla partium disputatione opus est §. VIII. Declaratio nihil novi dare debet §. IX. Hinc non confundenda cum supplemento sententiae in accessoriis, quod tamen ad unum diem restrictum §. X. De declaratione, quae in Leutatione, vel in appellatione interdum fieri solet §. XI. Effectus ejusmodi sententiarum declaratoriarum §. XII. Qui tamen non extendendus ad declarationem sine justa causa factam §. XIII. An arbiter sententiam, vel laudum obscurum declarare valeat? Negat Wurmserus §. XIV. Defenditur contrarium §. XV. An Mediator instrumentum pacis, si obscurum est, declarare possit? §. XVI.*

## §. I.

**P**erlustrato jure declarationis, quod ipsi Legislatori circa Leges promulgatas competit; proximum nunc est, ut ad Magistratus inferiores progrediamur. Princeps promulgat Leges, Judex juxta eas promulgatas Sententiam & Decretum concipit. Ergo sicut Prin-

DE JURE DECLAR. MAGISTRATUI INFERIORI COMP. 15  
Princeps Leges, ubi dubiæ sunt, declarat: ita quoque Ma-  
gistratui jus sententias obscuritate laborantes declarandi  
competit.

§. II.

Equidem Sichardus in *l. 1. C. de sent. ex peric. recit.*  
*n. 50.* inter majores & minores Judices distinguit, existi-  
mans, quod illis saltem, (v. g. Dicafteriis & aliis summis  
Tribunalibus) non autem his, potestas declarandi com-  
petat; sed quilibet facile videt, quod hæc distinctio nul-  
lum fundamentum in re habeat, unde etiam a Felino, Bal-  
do & quos citat Scaccia *de sentent. gl. 14. qu. 17. n. 41.* re-  
jicitur. Et recte addit Brunnem. *Proc. civ. c. 27. n. 56.* Si  
a Judice municipali lata sententia, æquis tandem, si ob-  
scura ea sit, illam interpretabitur? Manet itaque, declara-  
tionem a quocunque Judice, qui sententiam tulit, fieri  
posse, idque sive in prima, sive in secunda instantia ea pro-  
lata fuerit.

§. III.

Quod si sententia obscura a Collegio quodam Juri-  
dico, & non ab ipso Judice, concepta, tunc declaratio ab  
eodem Collegio etiam expetenda, quia alius quispiam  
mentem illius divinari nequit. Si ergo hoc casu ipse Ju-  
dex nihilominus facultatem declarandi sibi arrogat, vel  
etiam ad aliud Collegium Juridicum Acta pro impetran-  
da declaratione transmittere intendit, tunc justa causa ap-  
pellandi subest, quia maximum hac ratione infertur gra-  
vamen, fieri enim potest, & quidem admodum probabi-  
liter, ut ipse Judex, vel aliud Collegium, longe alium sen-  
tiam tribuat sententiæ, quem illud Collegium, quod prio-  
rem sententiam concepit, plane non intendit, v. *Mev. P.*  
*1. Dec. 110.* Brunnem. *ad l. 4. n. 9. ff. de appell.* Sequitur,  
porro exinde, quod, licet a sententia obscura non petita  
decla-

declaratione ad superiorem jam appellatum esset, superior autem deinde obscuritatem in sententia a qua deprehenderet, quod, inquam, tunc nec ipse superior facultate declarandi gaudeat, sed declarationem a Iudice, vel Collegio Juridico, quod priorem sententiam concepit, expetere obstrictus sit, *Mev. P. 3. Dec. 127. per tot.*

## §. IV.

Non prætermittendus hic est notabilis casus, quem idem *Mevius P. 1. Dec. 110.* pertractat. Scilicet, publica erat sententia quædam dubii intellectus & quæ diversas explicationes admittebat, atque hanc sententiam Collegium quoddam Juridicum extraneum conceperat. Iudex ipse hanc sententiam ex sua opinione declaraverat, sed hæc declaratio non respondebat intentioni Actoris, qui propterea appellabat. Expetierat autem appellans privato ausu declarationem a Collegio Juridico & responsum declaratorium pro se sonans impetraverat, quærebatur: quænam ex hisce duabus declarationibus alteri præferenda sit? Respondet *Mev. n. 5. in not.* Responsa Actorum quidem a partibus privatim petita & impetrata parum proficiunt, nec sola movere Iudicem debent, ut in illorum sensum iudicando transeat, nisi actis, juri & dextro suo iudicio congruant; attamen cum pars intellectum pronunciati ab iis, qui sententiam publico nomine conceperunt, petit & impetrat, parvi id faciendum non est, cum non super actis & jure petentis tantum, sed super mente concipientis exponatur, quod convenit.

## §. V.

Quæritur autem: *intra quod tempus declaratio petenda sit?* Respondemus, eam ad fatale decendii neutiquam adstrictam esse. Quamvis enim ille, qui vel appellationis, Leuterationis, vel alio quocunque remedio suspensivo contra

tra

tra sententiam publicatam uti vult, ad illud fatale præcise obligetur, adeò, ut illo elapso sententia in rem judicatam transeat, nec amplius quaratur, an sententia justa, sed saltem, an publicata fuerit; hæc tamen ad petitionem declarationis applicari non possunt. Declarationis enim petitio remedium suspensivum non est, quia nondum constat, qua ratione Judex sententiam sit declaraturus & utrum per declarationem gravamen sit illaturus, annon. Ergo declaratio quocunque tempore peti potest, vid. Mevius *Part. 1. Decis. 109. & Part. 5. Dec. 10. Mindan. de Process. lib. 1. cap. 8. num. 3.* & tunc, postquam illa declaratio facta est, a tempore publicatæ declarationis fatale decendii illi demum currit, qui per eandem se gravatum esse putat. Hæc quoad regulas justitiæ. Interim quia Rabulæ sapius elapso decendio simpliciter prætendunt, quod sententia in rem judicatam transferit, ex quo novæ lites & difficultates oriuntur; hinc regulæ prudentiæ exigunt, ut si intellectus dubius statim post publicationem sententiæ appareat, declaratio ante elapsam fatale decendii petatur eiq; eventualis appellatio jungatur, in eum scilicet casum, si declaratio displicuerit, unde prudentes Advocati hanc viam tutiorem semper eligere consueverunt, vid. *Illustr. Strykius Introd. ad Prax. c. 23. §. 2. Mev. P. 3. Dec. 127. n. 1. in not.*

## §. VI.

Diximus, non opus esse, ut declaratio de necessitate intra decendium petatur. Hoc ita de jure communi. Singularis vero dispositio est in der verbess. Proc. Ordn. des Herzogthums Magdeb. *cap. 42. §. 7.* ubi hæc habentur: Die Declarationes der auswärtig gesprochenen definitiv und interlocutivischen Urtheile / oder bey der Regierung ertheilten Abscheide / sollen ebenfalls binnen 10. Tagen durch eine bloße suppliche und imploration gesucht und

C

nach

nach dessen Ablauff die imploranten weiter nicht gehöret werden. Wann aber der Richter dem Urtheil/ oder Abschiede einen denen Acten zuwiederlauffenden Bestand geben wolte/bleibet dem imploranten von der Erklärung zu leutern/ oder zu appelliren unbenehmen. Quid E. post elapsum decendium cum sententia obscura fiet? Putamus, mentem Augusti Legislatoris esse, quod tunc contra eum interpretatio illius fieri debeat, qui obscuritatem & quidem in sui præjudicium adesse prætendit, & qui tamen iusto tempore declarationem non petiit. Quod si utraque pars de obscuritate conqueratur & neutra tamen declarationem petierit, in dubio contra Actorem interpretatio facienda erit, *arg. l. 125. ff. de R. J.* Ceterum & quoad reliqua natura declarationis, quam de jure communi habet, in dicta Lege Provinciali non est mutata, unde si aliquid in sententia liquido omisium, hujus supplementum non per modum declarationis, sed Leuterationis, aut appellationis petendum, de quo deinde §. IX. & X. dicetur. Non enim sequitur, declaratio Magdeburgica cum remediis suspensivis in hoc tertio convenit, quod intra decem dies peti debeat, Ergo in omnibus convenit. Omne remedium suspensivum intra decendium interponi debet, sed non omne, quod intra decendium peti debet, est remedium suspensivum. Et pertinet huc, quod nempe deficiente speciali dispositione Legis Provincialis ad dispositionem juris communis recurri debeat, quod jus in Ducatu Magdeburgico in subsidium expresse receptum est, vid. *Edictum Regium Ordinationi Politicæ præfixum* ibi: Im übrigen aber die gemeine beschriebene Kayserliche Rechte/so weit Wir denenselben aus Churfürstl. und Landesfürstlicher Hoheit und Macht nicht derogiret haben/sowohl bey der Regierung/ als im Schöppenstuhl und

DE JURE DECLAR. MAGISTR. INFER. COMPET. 19  
und allen andern Gerichten angeregten Herzogthums  
und der Graffschafft Mansfeld Magdeb. Hobeit in pro-  
cedendo, sententionando & judicando beobachtet werden  
sollen.

§. VII.

Quia declarationis petitio non est remedium suspen-  
sivum, nec ante declarationem constat, qualis sententia  
sit prolata; hinc nata est DD. regula: *quod pendente decla-  
ratione non currant fatalia*. Brunnem. *Proc. Civ. c. 27. n. 57.*  
Quisnam hujus regulæ sit effectus ratione remediorum su-  
pensorum interponendorum, de eo in §. præc. dictum.  
Fluit verò exinde adhuc ulterius, quod pendente declara-  
tione nec fatalia *probationis* currant, nec in Saxonia *obla-  
tionis ad præstandum juramentum*, si modo verba dubia i-  
psium momentum probationis, vel formulam juramenti re-  
spiciant. Tunc enim, antequam declaratio facta, articuli  
probatoriales confici nequeunt, quia nescit Actor, quid il-  
lis inferendum sit, nec ad juramenti præstationem se offer-  
re potest Actor, vel Reus, quia, de quo jurandum sit, igno-  
rat. Probatio itaque vel oblatio ante secutam declaratio-  
nem sine dubio frustraneus actus esset, ad quem neminem  
adstringunt Leges.

§. VIII.

Post petitionem declarationis nulla disputatione par-  
tium opus est. Judex enim absque hac disputatione jam-  
dum novit, quænam ipsius mens antea in conceptione  
sententiæ fuerit. Si ergo ipse Judex priorem sententiam  
concepit, declaratio factam petitionem statim subsequi-  
tur, nec opus est, ut libellus supplex, in quo declaratio pe-  
titur, parti adversæ communicetur, quippe cui nullæ ex-  
ceptiones competunt, post factam declarationem autem  
omnia juris remedia ipsi salva manent. Si vero prior sen-  
tentia

tentia a Collegio quodam Juridico concepta fuit, statim novus terminus ad irrotulationem & transmissionem actorum ad prius Collegium præfigitur. Et hoc innuere putamus Brunnem. *Proc. Civ. c. 27. n. 57.* quando dicit, declarationem parte utraque citata fieri debere.

## §. IX.

Ceterum natura declarationis in eo consistit, *ut nihil novi det*, sed illud saltem, quod priori sententiæ inest, manifestet, *Mev. P. 5. Dec. 309. n. 1. in not. Gail. 2. Obs. 1. n. 6.* sed quid hoc est? Ponamus, Judicem pronunciaſſe: daß *Beſlagter Klägern das libellirte Hauß abzutreten ſchuldig/* nullam autem fructuum & expenſarum mentionem eundem in ſententia injeciſſe, quæritur: an declaratio petenda, an vero remedio aliquo ſuſpenſivo opus ſit? Declaratio locum non invenit, quia res clara eſt, quod Judex fructus & expenſas omiſerit, in rebus claris autem declaratione non indigemus, ſed ſolummodo in dubiis & obſcuris.

## §. X.

Quamvis vero in *l. 42. ff. de re judic.* habeatur, *Paulum reſpondiſſe, reſcindere quidem ſententiam ſuam præcedentem. Prætoſem non poſſe: reliqua autem, quæ ad conſequentiam quidem jam ſtatutorum pertinent, priori tamen ſententiæ deſunt circa condemnandum reum, vel abſolvendum, debere ſupplere, ſcilicet eodem die*, unde etiam nonnulli exiſtimant, quod hoc caſu petitio declarationis locum inveniat, vid. Brunnem. *ad d. l. 42.* Textus tamen adductus iſtis neutiquam patrocinatur. Aliud quippe eſt *ſupplere* ſententiam ea parte, qua *manifeſte iſſi aliquid deeſt*; aliud vero *eandem declarare* quoad verba *dubia* in illa contenta; vid. Pruckman. *1. Conf. 14. n. 41. § 119.* prius permittitur in cit. lege, non autem poſterius. Eſt inſuper poteſtas ſupplendi ad *unum diem reſtricta*, non vero facultas declarandi, prout in *§. V. h. Cap. dictum.*



dictum. Ergo, si quis in casu omifforum fructuum & expensarum remedio aliquo suspensivo intra decendium non utatur, sed declarationem saltem petat, tunc sententia in rem judicatam transit non obstante illa declarationis petitione. Casus enim petendi declarationem non adest, ergo petitio pro non facta habetur.

## §, XI.

Hactenus de declaratione proprie sic dicta, id est, de ea, quæ ab ipso Judice fit, qui priorem sententiam concepit. Adhibetur vero declarationis vocabulum interdum etiam in alio significato, eoque minus proprio, id est, alius Judex declarat priorem sententiam, qui eam tamen non protulit. Notum est, quod quando causa per appellationem ad superiorem devolvitur, (idem est in Leutatione) sententia a qua tunc vel confirmetur, vel reformetur. Reformatio illa vero duplicis est generis, vel enim in totum reformatur sententia prior, vel ex parte, & hoc posteriori casu eam vocant *declaratoriam*, quæ in appellationis instantia, vel in Leutatione fertur. Concipitur hunc in modum: Der Materialien halber erscheinet aus den Acten und der Partheyen einbringen alenthalben so viel / daß in voriger instantz wohl gesprochen / (verba: übel appelliret tunc communiter omittuntur) jedoch mit dieser Erklärung, In Leutatione: daß es eingewandter Leuterung ungeacht / bey dem am = = = eröffneten und sol. = = = befindlichen Urtheil billig verbleibet / jedoch mit dieser Erklärung / v.g. daß Beklagter mit erstattung derer vor erhobenem Proceß genossenen Früchten / oder / mit erstattung der Unkosten zu verhönen, v. Illustr. Stryk. in Colleg. Pract. Sect. 3. Membr. 6. S. 9.

## §. XII.

Effectus hujus declarationis est, quod quamvis succum-

cumbens alias regulariter ad refundendas expensas retardati Processus condemnetur; hoc tamen casu ille ab expensis liberetur, quia non in totum succubuit, & sic quoad tenus justam appellandi, vel leuterandi causam habuit. Unde tunc in appellationis instantia addi solet: **Es werden auch die von beyden Theilen aufgewandte Unkosten gegeneinander compensiret und aufgehoben.** In Leuteratione expensarum mentio in sententia plane non injicitur, quod ipsum jam indicat, Leuterantem ab earum refusione liberatum esse, *Id. d. l. §. 10.*

## §. XIII.

Cum vero Rabulæ sæpius petitione declarationis præcipue in secundis instantiis abutantur, eum scilicet in finem, ut licet sententia in se satis clara sit, ipsi tamen, vel potius eorum clientes, quos sæpe seducunt, sub hoc prætextu a refusione expensarum liberentur, quod declarationem sententiæ obtinuerint; hinc sequentia adhuc ex eodem Illustri Strykio *d. l. §. 9.* notanda veniunt. Observandum autem, inquit, hic Judici, quod cum obtenta declaratione Leuterans ab expensis absolvendus sit, & tamen declaratio sæpius remorandi processus causa petatur, e. g. si emtor condemnatus sit ad rem emtam tertio vindicanti restituendam, & ille leuterare velit pro obtinenda declaratione sententiæ, daß ihm nicht der regress wider seinen Verkäufer vorbehalten sey / hæc Leuteratio omnino frustranea erit, cum hoc juris sit & tacite subintelligatur, etiamsi non exprimatur, quod, inquam, tali casu vel rejicienda Leuteratio, vel si admittitur, Judex non utatur formula: jedoch mit dieser Erklärung / sed ita potius pronunciet: daß es eingewandter Leuterung ungeacht bey vorgemilthheit verbleibet / und ist Beklagter denen Rechten nach sich an seinem Verkäufer zu erholen unbenommen.

Tali

Tali enim casu hunc Leuterantem ob defectum justi gravaminis etiam in expensas condemnare potest.

## §. XIV.

Cum Judicibus affinitatem quandam habent *Arbitri*, qui a privatis ad decidendas controversias privatas constituuntur, & de his quaeritur: *Utrum sententiam (vel laudum potius) latam, si obscura est, declarare valeant?* Affirmat Baldus ad l. *Ne in arbitris. in f. C. de arbitr.* & recte quidem, sed Speculator in tit. *de arbitr. S. fin. vers. sed nunquid verbum obscurum.* tenet, quod arbiter verbum suum positum in sententia non possit interpretari, quam opinionem non solum in puncto juris meliorem videri, sed ita etiam in practica observari asserit Bernhardus Wurmserus tit. 3. *observ. 7.*

## §. XV.

Nobis vero, quod cum pace Wurmseri dictum sit, illa sententia non solum omnibus genuinis juris principis, sed etiam ipsi praxi adversari videtur. Unico saltem argumento instructus est Wurmserus, *nam, inquit, arbiter functus est officio suo per sententiam.* Nos contra, imo non est functus. Licet enim dicatur in l. 55. ff. *de re jud. Judicem posteaquam semel sententiam dixit, postea Judicem esse desinere,* addita ratione, *semel enim male, seu bene officio functus est;* attendendum tamen est, quod Ulpianus, illius Legis Autor, hoc eo saltem respectu affirmet, *quod Judex amplius sententiam suam corrigere non possit.* Hic autem non de *correctione*, sed de *declaratione* quaestio vertitur. Functus est Judex & arbiter officio suo per sententiam claram, non autem per obscuram. Quomodo itaque sententia Wurmseri in praxi recepta esse posset? Tulit arbiter sententiam obscuram. Tertius eam interpretari nequit, cui de mente arbitri non constat. Ipsi arbitro etiam juxta  
Wurm-

Wurmseri praxin potestas declarandi non competit. Quid ergo? Functus est arbiter suo officio per laudum, quod nemo intelligit. Mira praxis. Sane hac ratione ne Judici quidem declarare sententiam licebit, quod tamen est contra praxin. Notamus itaque, non omnibus, qui pro autoritate de praxi testantur, simpliciter credendum esse. Sane declaratio, prout antea notavimus §. IIX. b. Cap. nihil novi dat, sed præcedentia declarat, & hinc ea declaratio sive a Judice, sive ab arbitro facta, ad illud tempus retrotrahitur, ubi Judex & arbiter officio suo fungebatur.

## §. XVI.

Quæritur: an etiam Mediatoris declaratione standum sit, si forsan post conclusam pacem, ut sæpius solet, dubium aliquod circa verba & sensum instrumenti pacis oriatur? Negamus, quia Mediator non est arbiter, nec itaque sententiam, vel laudum protulit, quod arbitri proprium est. Ergo instrumentum pacis, tanquam pactum, nonnisi ex paciscentium sententia declarandum erit. Sed cum hanc quæstionem solidissime, pro more suo, jam excusserit Illustri Vir, Henricus Coccejus, in *disp. de Officio & Jure Mediatorum pacis* §. LIV. & LV. hinc Lectorem eo remittimus. Confer, quæ dicemus de interpretatione pactorum Cap. seq. §. XX.

## CAPUT IV.

## De Jure Declarationis privatis competente.

## CONTENTA HUIUS CAPITIS.

Connexio cum præcedentibus §. I. De Declaratione in causis injuriarum, si verba prolata dubium sensum admittunt §. II. Quid si verba per se injuriosa? §. III. Jure Saxonico & hoc casu declarationis

tioni locus conceditur §. IV. Declaratio judicialiter & oretenus fieri debet §. V. Nec non in presentia Actoris §. VI. Et ante litem contestatam §. VII. Non habet vero locum, nisi in injuriis levioribus §. IIX. Quid hac parte extra Saxoniam juris sit §. IX. De Jure Lubecensi in specie §. X. Declaratio per modum pœne imponi solita eine Ehrenerklärung §. XI. Testibus depositiones suas, si forsitan obscuritate laborant, declarare permittitur. §. XII. In quem sinem depositiones fuito examine ipsis iterum prelegende §. XIII. Judex Testem ad faciendam declarationem etiam ex officio vocare potest, quo casu tamen parvium presentia, aut novo juramento opus non est §. XIV. Declaratio testimonium adhuc post elapsum terminum probatorium fieri potest §. XV. Testis interdum depositionem presentem ex precedente depositione declarare potest §. XVI. Is, qui ad Positiones ab altera parte oblatas obscure respondit, jure declarationis gaudet §. XVII. Quod idem obtinet intuitu inquisiti ad articulos inquisitionales respondentis §. XIX. In iis, que ab animo alicujus dependent, declaratione facientis statur in negotiis inter vivos §. XIX. Declaratio in contractibus juxta naturam & indolem negotii fieri debet §. XX. Verba testamenti obscura a Testatore in Codicillis declarari possunt §. XXI. Quod etiam procedit, licet Codicilli imperfecti sint §. XXII. Verba generaliter in testamento posita an in Codicillis de hereditate institutione declarari queant? §. XXIII. Conclusio Dissertationis §. XXIV.

## §. I.

**H**Actenus de ipsis Legislatores Legumque Ministris egimus; agmen nunc claudant privati, qui verba sua non vi officii publici, sed privata autoritate ex indole sermonis declarant. Videamus primo de causis injuriarum, an & quatenus in illis Reus intentatam injuriarum actionem per declarationem avertere queat?

## §. II.

Duo casus autem hic separandi esse videntur. Scilicet, aut protulit quis verba *dubium sensum habentia*, v.g. Titius  
 D  
 fene

seye ein wunderlicher Mensch/ *Tu es bonus vir, bonus Advocatus, &c.* aut verba *per se injuriosa*. Priori casu declaratio indistincte locum invenit, unde etiam antequam quis ad actionem injuriarum provolat, ab altero talia verba, proferente communiter per Notarium & Testes exquirere solet, quamquam ejus intentio fuerit, wie er das gemeinet habe / vel, wie er das verstanden haben wolle? Et tunc si alter respondeat, se hoc animo injuriandi (qui non præsumitur) neutiquam fecisse, etiam *extrajudiciali* hac declaratione contentus esse debet alter.

## §. III.

*Posteriori casu*, quemadmodum inepte quarit alter, ob er v. g. ihn zum affront einen Schelm geheissen / oder ihm eine Ohrfeige gegeben habe? ita quoque licet alter sese declaret, quod animum injuriandi non habuerit, eo ipso tamen & per hanc *extrajudicalem* declarationem sese ab actione injuriarum liberare non potest. Sed concedunt interim DD. declarationi *judiciali* locum, de qua nunc distinctius agendum erit. Supponimus autem, actionem injuriarum *ad palinodiam*, non vero ad *æstimationem* injuriæ *privatam* institutam esse ab Actore, quia posteriori casu declaratio nullum effectum habet, vid. Carpz. *Pr. Crim. qu. 97. n. 16.*

## §. IV.

Quod *fora Saxonica* attinet, textus hac de re est in der Ober-Hoffger. *Ordn. de A. 15 49. rubr. Von Schmah-Sachen §. Würde sich aber. ibi.* würde sich der Beklagte erbiethen / daß er vor dem Hoff-Richter und Beysthern von wegen der angezogenen Schmahewort öffentlich sagen wolt / Er hätte dieselbige Worte nicht der meinung / wie sie von Klägern angezogen / und ihn zu schmahen / von sich geredet / oder geschrieben / sondern dis / oder jenes

ienes/hätte ihn dazu verurſachet / (v.g. quod per jocum dixerit, aut ex iracundia, v. l. 48. ff. de R. J.) und wüſte von Klägern nichts/dann alle Ehr und gutes / ſo ſoll er weiter mit dem End / oder ſonſt / nicht beſchweret werden. Quamvis vero quondam dubitatum fuerit, utrum hæc diſpoſitio etiam ad judicia inferiora pertineat, negante id Berlichio P. 5. Concl. 60. n. 20. affirmativa tamen prævaluit, v. Finckelth. *Obſ.* 50. Carpz. *Prax. Crim. qu.* 97. n. 14. & 17. qui Duumviri hic, quod alias rarum eſt, conſentiunt.

## §. V.

Requiritur autem circa hanc declarationem (1) ut fiat *judicialiter*, de quo jam diximus §. III. (2) ut *ore tenus* fiat. Quod ſi ergo extrajudicialiter, vel in ſcriptis facta, effectum non forſitur, ſed legitime repetenda eſt. Unde pronunciatum meminit Finckelth. *diſt. Obſ.* 50. n. 20. Würden Beſlagte ihre allbereit gethane und in Actis regiſtrirte Erklärung vor Richter und Schöppen gegen Klägern mündlich wiederhohlen / ſo wäre Kläger ſich daran begnügen zu laſſen ſchuldig.

## §. VI.

Ex verbis: gegen Klägern / ſuit (3) quod declaratio fieri debeat *in præſentia Actoris*. Declaratio enim ſuccedit in locum deprecationis & recantationis, hæc autem nonniſi præſente adverſario, aut ejus mandatario, expediri poſſunt. Ergo ſurrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum eſt ſurrogatum. Vide præjudicium apud Carpzovium *d. qu.* 97. n. 20. ibi: Würde Beſlagter in Beyſeyn der Kläger ſeine gethane Erklärung / und daß er von Ihnen nichts/denn alle Ehre/liebes und gutes wiſſe / gerichtlich wiederhohlen / inmaſſen Er zu thun ſchuldig / ſo lieſſen ihnen Klägere daran billig genügen / B. N. B.

## §. VII.

Requiritur (4) ut ista declaratio *ante litem contestatam* fiat. Rationem hanc reddunt, quia post L.C. jus injuriam passio irrevocabiliter & perfectè quæsitum est, & ideo absque ejus consensu iterum tolli nequit, Finckelth. *d. Obs. 50. num. 14. Carpz. d. l. n. 15. Berlich. p. 5. Concl. 60. n. 16.*

## §. IIX.

Requiritur (5) ut injuriæ sint *leviuscula* & non valde *atroces*, Carpzov. *d. l. n. 16.* si ergo sint atroces, ratione verborum, loci, personæ injuriatæ, v. g. si Actor in officio & dignitate est constitutus, reus vero privatus & vilioris conditionis, item, si sunt iteratæ, aut scriptæ forsan & ita deliberato prolatae, tunc si Actor oblatae declarationi constanter contradicit eamque admittere recusat, Judex non præcise quamlibet Rei declarationem sufficientem agnoscere adstrictus est, sed potest tum partes ad processum remittere & duriolem sententiam pro re nata proferre, Finckelth. *d. l. n. 25. seqq.* quæ opinio in æquitate satis fundata est, quia alias quilibet malitiosus homo pœnam condignam per oblatam declarationem effugere posset.

## §. IX.

Hæc ita in foris Saxonice obtinent. Sed quid *extra Saxoniam*? Audiamus Mevium *ad Jus Lubec. l. 4. tit. 4. art. 7. n. 9. & 10.* Hoc, inquit, (quod hæctenus ex Jure Saxonico attulimus,) non plane congruit juri civili, ex quo sic opinamur, quod cum Reus injurias negare nequit, sed nihil animo injuriandi dictum, seque nihil, nisi quod honestum de actore scire fatetur, non statim absolvendus sit, sed juramentum purgatorium ei desuper deferendum. Ita caute tamen, ut nuda contestatio rei judicem eò movere non debeat, ne perjurio locus fiat, dum evitatur pœna, sed præsumptio quædam ex amicitia, consanguinitate, vel simili causa



DE JURE DECLARAT. PRIVATIS COMP. 29  
li causa accedat. Consentit cum Mevio Gailius *l. 2. obs. 106.*  
*n. l. Heigius P. l. quest. 40. num. 23.* aliique, quos citat Mevius  
*num. 9.*

§. X.

Quoad Jus Lubecense Mevius *n. 12.* distinguendum  
putat, an lis jamdum sit contestata, annon. *Priori* casu ea  
observanda esse dicit, quæ in §. præc. ex jure communi at-  
tulimus; *posteriori* autem Actorem ad agendum admitti  
non debere asserit, si nempe ante L. C. ab actore fieret  
declaratio; unde purgaretur injuria & satisfaceret existima-  
tioni Actoris, veluti quando inter amicales tractatus ille  
diceret, se non meminisse dicti injuriosi, quod dictum est,  
non procesfisse ex malo animo, sed vel ex ebrietate, vel  
joco, vel iracundia, ad quam provocatus fuerit, bene se o-  
pinari de ipso, nec quid mali scire. Deletur enim, addit,  
tali declaratione quæ excusatur injuria. In verbis quidem  
Juris Lubecensis *l. 4. tit. 4. art. 7.* hac de re nihil habetur.,  
Mevius tamen ita non semel à Collegiis Jctorum præ-  
nunciatum esse testatur.

§. XI.

Hæc de declaratione, per quam actio injuriarum *aver-*  
*zitur.* Quamvis vero actio illa actu instituatur & Actor ad  
palinodiam, sive solennem & publicam recantationem a-  
gat; petito tamen ipsius non semper defertur, sed loco  
palinodiæ interdum declaratio *per modum pænæ imponitur,*  
*daß Beklagter Klägern eine gerichtliche Ehrenerklärung*  
*(interdum additur und Abbitte) zu thun schuldig.* Sed  
hoc saltem in levioribus injuriis obtinet. Effectus interim  
ratione condemnationis ad palinodiam, & ad declaratio-  
nem honoris in eo consistit, quod priori casu condemna-  
tus infamia notetur, non vero posteriori, de quo apud Car-  
pov. *Prax. Crim. qu. 94. n. 73. § 77.*

D 3

§. XII.

## §. XII.

Alia porro *declarationis* species in materia *de testibus* deprehenditur. Sæpe scilicet evenit, ut ab initio quidem depositio testis clara esse videatur, deinde tamen obscuritas quædam in eadem deprehenditur, ut nesciant partes, quisnam illi sensus ex intentione testis tribuendus sit. Quid ergo tunc consilii? Interpretationem contra producentem faciendam esse statuit Nicol. in *Proc. p. I. c. 61. n. 8.* & post hunc Dn. Schœpff. *Synops. jur. de test. n. 33.* Sed hoc simpliciter admitti nequit. Unde distinguendum putamus: testis aut adhuc adest, aut non, v. g. quia mortuus, aut ad loca disita migravit; posteriori casu posset illud assertum forte locum habere, non autem priori. Ergo tunc ad declarationem perveniendum, de qua in *c. 53. X. de Testib.* ita habetur: *cum clamor validus contra Acherontinensem Archiepiscopum super simonia & aliis criminibus ascendisset, Melfit. & Ruben. Episcopis dedimus in mandatis, ut super his diligenter veritatem inquirerent; verum quia apertis attestationibus L. & G. super simonia ita deposuere confuse, quod ex dictis eorum non potest veritas declarari: Mandamus, quatenus examinetis eos iterum diligenter, & tam eorum, quam aliorum, quos receperitis testificata, sub sigillis vestris nobis fideliter referatis.*

## §. XIII.

Consentiunt etiam plerique ex DD. quod tali casu Testis ad declarationem eorum, quæ obscure protulit, admittendus sit, Carpzov. in *Proc. tit. 13. art. 4. n. 40. seq.* scilicet, injunctum est Judicibus, ut finito examine attestata Testi iterum prælegant, non solum eum in finem, ut constantia testis appareat, & si aliquis error ab ipso commissus, ut is corrigi possit, sed etiam, ut si aliqua obscuritas, vel putativa contrarietas adsit, testis interrogari possit, quo-

quomodo hoc intelligat, & quomodo hoc vel illud conciliari possit, alias enim responsio testis nullum plane effectum produceret, & sic examen plane inutile & frustraneum foret, Brunnem. *Pr. Civ. c. 20. n. 74. 76.*

## §. XIV.

Et ex hac quoque causa Judicem *ex officio* testem ad faciendam declarationem citare posse existimamus, cum ipsi omnia præcavere oporteat, ex quibus nullitas & protractio litis provenire potest. Sed *an nova partium citatione opus est?* Negatur. Partium enim præsentia hic non requiritur, quia quemadmodum ipsa prima depositio remotis partibus fit, ita quoque hæc declaratio. Et quamvis ad primum examen citentur partes, hoc tamen eum saltem in finem fit (1) ut videant testes jurare & (2) ut Productus interrogatoria sua offerre possit. Ast vero testis ad declarationem vocatus *novo juramento non obstringitur*, sed sub fide juramenti antea præstiti, quod ipsi in memoriam revocandum, sese declarat. Deinde etiam ad actum declarationis novis interrogatoriis non est opus. Ergo utraque ratio, quæ intuitu citationis ad primum examen suberat, hic omnino deficit, vid. Gail. *I. Obs. 101. n. 16. II. Obs. 104. n. 3.* Brunnem. *d. c. 20. num. 75.* Rulant. *de Commiss. p. 2. l. 2. c. 30. num. 8.*

## §. XV.

Fluit porro, quod declaratio testis etiam *post elapsum terminum probatorium fieri possit*. Scimus quidem, terminum probatorium esse peremptorium & sic post illum elapsum testes amplius produci non posse; verum enimvero in casu declarationis faciendæ non adest productio nova, sed supplementum saltem prioris productionis. Neque etiam Producenti quicquam imputari potest, quod Testis non statim clare locutus fuerit, sed ita deposuerit, utjam illo

illo supplemento opus sit. Nec obstat, quod Produccens attestata priora jam didicerit, quo casu adhuc difficilius nova probatio conceditur; Recurrit enim prior responsio, hic non adesse novam probationem, & præterea Produccens declarationem urgere non potuit ante didicita attestata, quoniam antea ipsi non constitit, utrum depositio testium clara sit, an vero obscura.

## §. XVI.

Interdum etiam testis depositionem præsentem ex depositione antea forsan in eadem causa factam declarare & ad eandem se referre potest, in quem finem sequentem casum adducit Gail. 1. Obs. 104. n. 1. Quidam in quadam causa ante aliquot annos in testem productus & examinatus erat, postea coram Judici appellationis repetitus retulit se ad depositionem hoc pacto: *Testimonium reddo & dico in hac causa super articulo facto, prout illud mihi modo in memoriam recurrit: quod si in prima depositione appareat, me aliter dixisse, quam nunc dico, volo hoc repetitum testimonium ad primam testificationem reduci & referri.* Salutarem hanc esse formulam relationis cum Bartolo, Saliceto, Felino, Baldo aliisque dicit Gailius, ad evitandum perjurium, quia memoria hominum labilis est. Quod si hanc relationem admittere nolit Judex, sed responsionem ad singulos articulos denuo urgeat, hanc cautelam ipsi suggerit, ut exhibitionem primi rotuli a Judice petat, quo se exinde ad evitandum perjurium informare queat, quidnam antea deposuerit, ne contrarietas enascatur ex diversa depositione.

## §. XVII.

Quæ de declaratione testium hætenus adduximus, ea pari ratione ad illum casum pertinent, si quis ad Propositiones ab altera parte oblatas obscure responderit. *Nihil interest.*

terest, inquit Ulpianus in l. II. §. 7. ff. de interr. act. negot-  
 quis, an taceat interrogatus, an obscure respondeat, ut incer-  
 tum dimittat interrogatorem. Ergo, quia non est certus ad-  
 versarius, quid sit probandum, responsiones pro non datis  
 habentur & Judicis interlocutione novæ injunguntur. Et  
 hic etiam Judicem ex officio declarationem obscuræ respon-  
 sionis injungere posse recte asserit idem Gailius l. Obs. 82. n. 5.  
 argumento eorum, quæ paulo ante circa declarationem de-  
 positionis testium in §. XIV. diximus.

## §. XVIII.

Eodem modo in *criminalibus* inquisito facultas sese  
 declarandi conceditur, quando in responsione ad articulos  
 inquisitionales obscuritas aliqua occurrit, in quem finem  
 non minus, ut de testibus dictum, post examen absolutum  
 articuli cum responsionibus inquisito prælegendi, nam ob-  
 scuritas non semper statim ab initio deprehenditur. Quod  
 si inquisitus pertinax sit & responsionem obscuram declara-  
 re detrectet, ea mediante quoque modica tortura extorque-  
 ri potest, modo tamen de ejusmodi delicto agatur, quod  
 pœnam corporis afflictivam mereri posset & modo obscu-  
 ritas circa principales circumstantias deprehendatur, alias  
 enim melius est, ut inquisitus in Saxonia pro confesso &  
 convicto declaretur, aut extra Saxoniam lis pro negative  
 contestata habeatur. Medium enim eruendi veritatem non  
 debet gravius esse, quam ipsa pœna futura, v. Carpzov. *Pr.*  
*Crim. qu. 113. n. 56. seqq.* Jul. Clarus l. 5. sent. §. ult. qu. 45. c. 6.  
 Dan Moller. 2. *semestr. c. 25.* Brunn. *Proc. inquis. c. 8. membr.*  
*1. numer. 80.*

## §. XIX.

In *negotiis* quoque *privatis inter vivos* declarationi sæ-  
 pius effectus tribuitur, in iis scilicet, quæ ab animo alicujus pen-  
 dent. Sic quando quæstio est, utrum mater, quæ liberis  
 E sum.

sumtus subministravit, animo repetendi eos hoc fecerit, an vero donare voluerit? Paulus disceptationem in factum consistere ait in *l. 34. ff. de negot. gest.* & in re facti facilius putat aviam (matrem) vel heredes ejus audiendos, si reputare velint alimenta: *maxime si etiam in rationem impensarum ea retulisse aviam apparuerit & protestatio præcesserit*, quippe quod in antecedentibus habetur. Supponimus tamen, liberos aliunde habuisse, ut se alere possent, alias enim mater & deinde etiam avia ad alimenta suppeditanda ex necessitate obstringitur. Sic quoque circa *sumtus studiorum* declaratione Patris expressa standum est, quod conferri debeant, nuda vero eorum consignatio hanc declarationem nondum involvit, prout ostendit Finckelth. *Obs. II. per tot.*

## §. XX.

Sed quid in contractibus? Ponamus, in casu celebratæ emtionis venditionis nihil dictum fuisse, an evictio sit præstanda, vel culpa levis, an pretium statim numerandum, an post aliquod tempus demum, &c. Venditor se declarat, quod evictionem, vel culpam præstare noluerit, quod vero pretium statim solvi voluerit. Emtor e contrario ita sese declarat, quod præstationem evictionis & culpæ levis intenderit, pretium autem post aliquod tempus demum solvere intenderit, quæritur, quid juris? Hic aperta apprehenditur differentia inter Principem & privatum. De Principe scilicet supra *C. II. §. ult.* diximus, quod in declaratione verborum suorum, quantum Leges attinet, ad certas regulas non sit adstrictus, privatis autem hac parte certa lex præfinita est, nempe quod in dubio alia declaratio verborum non admittatur, quam quæ naturæ contractus, de quo sermo est, & communi loquendi usui congruit. Ergo in casu proposito ratione præstandæ evictionis & culpæ emtoris, ratione termini solutionis vero venditoris declaratione

tione standum foret. Et huc recurrit, quod alias dicitur, in ambiguis contra eum, pronunciandum esse, qui clarius (scilicet ab initio contractus statim) loqui debuit, debuit autem ille, qui peculiare quid intendit, quod a naturalibus contractus recedit, conf. Consultiff. Böhmerus in *Disp. de interpretatione contra eum facienda, qui clarius loqui debuisset.*

§. XXI. Quod ad ultimas voluntates attinet, hoc sollicitis testatoribus animadvertendum esse dicit Illustr. Stryk. *de Caut. testam. c. 23. §. 22.* ut si quando deprehendunt verba, quibus in condito antea forsitan testamento usi sunt, obscura esse atque ambigua, eadem in Codicillis postmodum confectis declarent & sic omnes lites ex dubia alias & diversa interpretatione provenientes in antecessum præcendant, v. g. si verba substitutionis & de directa & de obliqua, de vulgari & pupillari intelligi possent. Hoc enim, quin liceat codicillanti, nullum esse dubium, & unaninem fere DD. huc collimare opinionem testatur ipse Vir Illustris *loc. cit. v. Reufner. Consil. 16. num. 14. & 94. Magon. Decif. Florent. 4. n. 30. Tusch. pract. Conclus. lit. C. Conclus. 406. n. 9. Gothofred. ad l. 2. C. de Codicill.*

§. XXII. Hoc amplius etiam notandum esse dicit Gothofr. *loc. cit. codicillis ambigua testamenti verba declarari posse, licet codicilli imperfecti sint, arg. l. ult. ff. de reb. eor. qui sub tut.* Ratio in promptu est. Quamvis enim Codicilli certas solennitates, v. g. quinque testes &c. requirant; hoc tamen ad illum casum solummodo pertinet, quando codicilli *novam dispositionem* ratione legatorum & fideicommissorum inducunt, in declaratione autem talis nova dispositio non adest. Ergo etiam in nuda scheda declaratio verborum testamenti ambiguum fieri potest, hæc enim non est *solennitatis*, sed *veritatis*, & sufficit solennitates in principali, testamento scilicet, adhibitas fuisse, cujus naturam deinde declaratio, tanquam accessorium, sequitur & de ea participat.

§. XXIII.

§. XXIII. Sed quid sentiendum de hoc casu, quem subjungit Gothofredus. *Pone, inquit, Testator decem filio reliquit codicillis: post declarat, ea se filio reliquisse jure institutionis, quaeritur, utrum ea declaratio in codicillis facta valeat?* Negant, addit, Salycetus & Jason in *Auth. Novissima. C. de inoff. testam.* Romanus contra valere putat *Conf. 179. n. 7.* Gothofredus nihil decedit. Nobis Romani sententia verior videtur. Supponimus scilicet, Testatorem non expresse dixisse, quod ea decem filio legare velit, sed verba ambigua adhibuisse, v. g. *relinquo, filius habeto &c.* quæ & de heredis institutione & de legati constitutione intelligi possunt. Quaeritur nunc, si testator in Codicillis declarat, se ea verba posuisse animo filium heredem instituendi, utrum ea declaratio novi quid addat, annon. Sin prius, declaratio locum non habebit per ea, quæ diximus *c. III. §. X.* bene autem, si posterius. Cum vero in interpretatione etiam a tertio facienda ille sensus verborum ambiguum præferendus sit, qui naturæ materiæ substratæ convenit, in testamento autem testator in dubio de heredis institutione locutus sit; hinc declarationem pro heredis institutione ab ipso testatore factam omnino subsistere eamque nihil novi testamento priori addere putamus. Quod enim ex natura substratæ materiæ in testamento jam latitat, illud propter subsequentem declarationem pro novo aliquo haberi nequit, sed hic valet allusio, quam Reinkingio tribuunt, declarantem similem esse illi, qui granum spica tectum excutit, is enim novum granum non facit, sed illud, quod est, detegit.

§. XXIV. Hæc sunt, quæ de hac materia inter meditando hac vice mihi inciderunt. Si quæ forsan obscura, aut minus accurate posita deprehendet benevolus Lector, ad declarationem & emendationem me semper paratum quoque inveniet,

Tantum.



94 A 7367

ULB Halle  
002 415 674


3




Sb.

VD17







DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
**JURE DECLARATIONIS,**

quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,*  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENB.  
DUCATUS MAGDEB. GUBERNATORE, & reliqua,  
IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE  
**JAC. FRIDERICO LUDOVICI,**  
J. U. D. Prof. P. & Facult. Jurid. Adseffore,

Ad diem Maji MDCCVII Horis locoq; solitis  
Placido eruditorum examini submittit

**HIERONYMUS PIUS Sinf /**  
NORIMBERGENSIS.

Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.